

1499

*Et Veneto-  
rum.*

bus ex reipublicæ maritimis municipiis atque insulis classe celeriter coacta pulcherrimeque instructa , quæ quidem erat triremum quadraginta sex , longarum navium ex iis quæ ad mercaturam proficiscuntur , decem septem , navium oneriarum numero ad quadraginta , biremum & reliquarum item quadraginta , Methone ex anchoris , quid Turcæ facerent , circunspiciebat . pauloque post e portu apud Acritam egressos appropinquare eos intelligens ad Sphagiam insulam , quæ contra Methonem est , vela cum omnibus navibus facit . Venetias cum esset nunciatum , classem Thraciam ad ea reipublicæ littora processisse , quibus in littoribus & portibus esset Veneta , neque esse dubium quin sint congressuræ , supplicatio est a Senatu decreta : tum in sacrarum virginum & sacerdotium collegia farinæ triticeæ sextaria trecenta dono data : atque auri libræ quinque remigibus senectute aut valetudine affectis , qui aliquando stipendia in classibus reipublicæ fecissent , per urbem distributæ . Antonius , constituto qua ex parte hostes , quotque cum triremibus quisque legatorum aggredieretur , quemque locum præfetti navium oneriarum majorumque longarum caperent ; quot naves post reliquas , ut subsidio laborantibus essent , se continerent : media ipse in acie , quatuor circum se triremes ducens , proiectusque paululum in mare , cum naves Thraciæ non longe ab eo iter facerent , possetque illas secundo vento aggredi , prælium tamen distulit . At Aloisius Marcellus navium oneriarum præfetus , ut ei erat imperatum , paulisper se ad classem hostium convertit : qua re animadversa , illi statim alia insulæ parte se in portum , qui Longus appellatur , receperunt . Constat autem illis diebus ita eos reipublicæ classis nomen perhorruisse , ut multi se suis cum navibus littori applicuerint , quo facilius , si classes congrederentur , terra fugam caperent . Antonius Methonem rediit : idque cum bis terque postea paucorum dierum spatio accidisset , ut & Turcæ portu egressi conspecta classe Veneta in eundem portum redierint , aut in proximum se intulerint : & Antonius , eductis navibus ut configeret , vi-

sis